

Ora maritima

Rufus Festus Avienus

Quaesisse temet saepe cogitans, Probe,
 animo atque sensu, Taurici ponti situs
 capi ut valeret his probabili fide
 quos distinerent spatia terrarum extima,
 subi libenter id laboris, ut tibi 5
 desideratum carmine hoc claresceret.
 fas non putavi quippe prolixa die
 non subiacere sensui formam tuo
 regionis eius quam vetustis paginis
 et quam per omnem spiritus nostri diem 10
 secretiore lectione acceperam.
 alii invidere namque, quod dispendio
 tibi haud sit ullo, agrestis et duri reor.
 his addo et illud, liberum temet loco
 mihi esse amore sanguinisque vinculo. 15
 neque sat sit istud, ni sciam te litteras
 hiantibusque faucibus veterum abdita
 hausisse semper, esse patuli pectoris,
 sensu capacem, talium iugem sitim
 tuo esse cordi et esse te prae ceteris 20
 memorem intimati. cur ineffaciter
 secreta rerum in non tenacem effunderem?
 in non seguacem quis profunda ogganniat?
 multa ergo, multa compulere me, Probe,
 efflagitatam rem tibi ut persolverem. 25
 quin et parentis credidi officium fore,
 desideratum si tibi locupletius
 profusiusque Musa promeret mea.
 dare expetitur quippe non parci viri est,
 augere porro muneris summam novo 30
 mentis benignae satque liberalis est.
 interrogati, si tenes, Maeotici
 situs quis esset aequoris. Sallustium
 noram id dedisse, dicta et eius omnibus
 praeiudicatae auctoritatis ducier 35
 non abnuebam. ad eius igitur inclytam,
 descriptionem, qua locorum formulam
 imaginemque expressor efficax stili
 et veritatis paene in optutus dedit
 lepore linguae, multa rerum iunximus 40
 ex plurimorum sumpta commentariis.
 Hecataeus istic quippe erit Milesius
 Hellanicusque Lesbius, Phileus quoque
 Atheniensis, Caryandaeus Scylax,
 Pausimachus inde, prisca quem genuit Samos, 45
 quin et Damastus nobili natus Sige

Rhodoque Bacoris ortus, Euctemon quoque
 popularis urbe Atticae Siculus Cleon,
 Herodotus ipse Thurius, tum qui decus
 magnum loquendi est, Atticus Thucydides. 50
 hic porro habebis, pars mei cordis Probe,
 quicquid per aequor insularum attollitur
 (per aequor illud scilicet, quod post cava
 hiantis orbis a freto Tartessio
 Atlanticisque fluctibus procul sitam 55
 in usque glaeba proruit nostrum mare)
 sinusque curvos atque prominentia,
 (ut se supino porrigat litus situ,
 ut longe in undas inserant sese iuga)
 celsaeque ut urbes alluantur aequore, 60
 quis ortus amnis maximos effuderit,
 ut prona ponti gurgitem intrant flumina
 ut ipsa rursum saepe cingant insulas
 sinuentque late ut tuta portus bracchia,
 ut explicentur stagna, ceu iaceant lacus, 65
 scruposum, ut alti verticem montes levent
 stringatque nemora ut unda cana gurgitis.
 laboris autem terminus nostri hic erit,
 Scythicum ut profundum et aequor Euxini sali
 et siquae in illo marmore insulae tument, 70
 edisserantur. reliqua porro scripta sunt
 nobis in illo plenius volumine,
 quod de orbis oris partibusque fecimus.
 ut aperta vero tibimet intimatio
 sudoris huius et laboris sit mei 75
 narrationem opusculi paulo altius
 exordiemur. tu per intimum iecur
 prolata conde, namque fulcit haec fides
 petita longe et eruta ex auctoribus.
 Terrae patentis orbis effuse iacet 80
 orbique rursus unda circumfunditur.
 sed qua profundum semet insinuat saxum
 Oceano ab usque, ut gurges hic nostri maris
 longe explicetur, est Atlanticus sinus.
 hic Gadir urbs est, dicta Tartessus prius, 85
 hic sunt columnae pertinacis Herculis
 Abila atque Calpe, haec laeva dicti caespitis,
 Libyae propinqua est Abila. duro perstrepunt
 et prominentis hic iugi surgit caput,
 Oestrymnin istud dixit aevum antiquius, 90
 molesque celsa saxei fastigii
 tota in tepentem maxime vergis notum.
 sub huius autem prominentis vertice
 sinus dehiscit incolis Oestrymnicus,
 in quo insulae sese exerunt Oestrymnides, 95

laxe iacentes et metallo divites
stanni atque plumbi. multa vis hic gentis est,
superbus animus, efficax solertia,
negotiandi cura iugis omnibus,
netisque cumbis turbidum late fretum 100
et beluosi gurgitem Oceani secant.
non hi carinas quippe pinu texere
et acere norunt, non abiete, ut usus est,
curvant faseleos, sed rei ad miraculum
navigia iunctis semper aptant pellibus 105
corioque vastum saepe percurrunt salum.
ast hinc duobus in sacram, sic insulam
dixere prisci, solibus cursus rati est.
haec inter undas multam caespitem iacet,
eamque late gens Hiernorum colit. 110
propinqua rursus insula Albionum patet.
Tartessiisque in terminos Oestrumnidum
negotiandi mos erat. Carthaginis
etiam coloni et vulgus inter Herculis
agitans columnas haec adibant aequora, 115
quae Himilco Poenus mensibus vix quattuor
ut ipse semet re probasse rettulit
enavigantem, posse transmitti adserit.
sic nulla late flabra propellunt ratem,
sic segnis umor aequoris pigri stupet. 120
adicit et illud: plurimum inter gurgites
extare fucum et saepe virgulti vice
retinere puppim. dicit hic nihilominus
non in profundum terga demitti maris
parvoque aquarum vix supertexi solum. 125
obire semper huc et huc ponti feras,
navigia lenta et languide repentia
internatare beluas. siquis dehinc
ab insulis Oestrymnicis lembum audeat
urgere in undas, axe qua Lycaonis 130
rigescit aethra, caespitem Ligurum subit
cassum incolarum. namque Celtarum manu
crebrisque dudum proeliis vacua arva sunt
Liguresque pulsati, ut saepe fors aliquos agit,
plerumque dumos. creber his scrupus locis 135
rigidaeque rupes atque montium minae
caelo inseruntur. et fugax gens haec quidem
diu inter arta cautium duxit diem
secreta ab undis. nam sali metuens erat
priscum ob periculum, post quies et otium 140
securitate roborante audaciam
persuasit altis devehi cubilibus
atque in marinos iam locos descendere.
post illa rursus quae supra facti sumus

magnus patescit aequoris fusi sinus 145
 Ophiussam ad usque. rursum ab huius litore
 internum ad aequor, qua mare insinuare se
 dixi ante terris, quodque Sardum nuncupant,
 septem dierum tenditur pediti via.
 Ophiussa porro tanta panditur latus 150
 quantam iacere Pelopis audis insulam
 Graiorum in agro. haec dicta primo Oestrymnis est
 locos et arva Oestrymnicis habitantibus,
 post multa serpens effugavit incolas
 vacuumque glaebam nominis fecit sui. 155
 circumlatratque pontus insulas duas
 tenue ob locorum inhospitas. Aryium
 rursum tumescit prominens in asperum
 septentrionem cursus autem hinc classibus
 usque in columnas efficacis Herculis 160
 quinque est dierum. post pelagia est insula
 herbarum abundans adque Saturno sacra.
 sed vis in illa tanta naturalis est,
 ut siquis hanc innavigando accesserit,
 mox excitetur propter insulam mare, 165
 quatiatur ipsa et omne subsiliat salum
 alte intremescens cetero ad stagni vicem
 pelago silente. prominens surgit dehinc
 Ophiussae in auras, abque Arvii iugo
 in haec locorum bidui cursus patet. 170
 at qui dehiscit inde prolixo sinus,
 non totus uno facile navigabilis
 vento recedit; namque medium accesseris
 zephyro vehente, reliqua deposcunt notum.
 et rusus inde si petat quisquam pede 175
 Tartessorum litus, exuperet viam
 vix luce quarta. siquis ad nostrum mare
 Malacaeque portum semitam tetenderit,
 in quinque soles est iter. tum Cempsicum
 iugum intumescit. subiacet porro insula 180
 Achale vocata ab incolis. aegre est fides
 narrationi prae rei miraculo,
 sed quam frequens auctoritas sat fulciat,
 aiunt in huius insulae confiniis
 numquam esse formam gurgiti reliquo parem. 185
 splendorem ubique quippe inesse fluctibus
 vitri ad nitorem et per profundum marmoris
 coeaneam in undis esse certum imaginem est.
 confundi at illic aequor immundo luto
 memorant vetusti semper atque sordibus 190
 ut faeculentos gurgites haerescere.
 Cempsi atque Sefes arduos collis habent
 Ophiussae in agro. propter hos pernix Ligus

Draganumque proles sub nivoso maxime septentrione conlocaverant larem.	195
Poetanion autem est insula ad Sefum latus patulusque portus. inde Cempsis adiacent populi Cynetum. tum Cyneticum iugum, qua sideralis lucis inclinatio est, alte tumescens ditis Europae extimum in beluosi vergit Oceani salum.	200
Ana amnis illic per Cynetas effluit sulcatque glaebam. panditur rursus sinus cavusque caespes in meridiem patet. memorato ab anni gemina sese flumina scindunt repente perque praedicti sinus crassum liquorem (quippe pinguescit luto omne hic profundum) lenta trudunt agmina. hic insularum semet alte subrigit vertex duarum. nominis minor indiga est, aliam vocavit mos tenax Agonida. inhorret inde rupibus cautes sacra Saturni et ipsa. fervet inlisum mare litusque late saxeum distenditur.	205
hirtae hic capellae et multus incolis caper dumosa semper intererrant caespitum, castrorum in usum et nauticis velamina productiores et graves setas alunt. hinc dictum ad amnem solis unius via est, genti et Cynetum hic terminus. Tartessus ager his adhaeret adluitque caespitem Tartessus amnis. inde tenditur iugum Zephyro sacratum. denique arcis summitas Zephyris vocata. celsa sed fastigia iugo eriguntur verticis. multus tumor conscendit auras et supersidens quasi caligo semper nubilum condit caput. regio omnis inde maxime herboso solo est, nebulosa iuge his incolis convexa sunt, coactus aer atque crassior dies noctisque more ros frequens. nulla, ut solet, flabra inferuntur, nullus aethram discutit superne venti spiritus, pigra incubat caligo terras et solum late madet.	210
Zephyridos arcem siquis excedat rate et inferatur gurgiti nostri maris, flabris vehetur protinus favonii.	215
Iugum inde rursus et sacrum infernae deae divesque fanum, penetral abstrusi cavi adytumque caecum. multa propter est palus Erebea dicta. quin et Herbi civitas stetisse fertur his locis prisca die,	220
	225
	230
	235
	240

quae proeliorum absumpta tempestatibus
 famam atque nomen sala liquit caespiti.
 at Hiberus inde manat amnis et locos 245
 fecundat unda. plurimi ex ipso ferunt
 dictos Hiberos, non ab illo flumine
 nam quicquid amnem gentis huius adiacet
 occiduam ad axem, Hiberiam cognominant.
 pars porro eoa continet Tartessios 250
 et Cilbiconos. Cartago post insula est
 eamque pridem, influxa et est satis fides,
 tenuere Cempsii. proximorum postea
 pulsi duello, varia quaesita loca
 se protulere. Cassius inde mons tumet. 255
 et Graia ab ipso lingua cassiterum prius
 stannum vocavit. inde fani est prominens
 et quae vetustum Graeciae nomen tenet,
 Gerontis arx est eminus. namque ex ea
 Geryona quondam nuncupatum accepimus. 260
 hic ora late sunt sinus Tartessii.
 dictoque ab amni in haec locorum puppibus
 via est diei. Gadir hic est oppidum,
 nam Punicorum lingua consaeptum locum
 Gadir vocabat. ipsa Tartessus prius 265
 cognominata est. multa et opulens civitas
 aevo vetusto, nunc egea, nunc brevis,
 nunc destituta, nunc ruinarum agger est.
 nos hic locorum, praeter Herculaneam
 solemnitate vidimus miri nihil. 270
 at vis in illis tanta vel tantum decus
 aetate prisca sub fide rerum fuit,
 rex ut superbus omniumque praepotens,
 quos gens habebat forte tum Maurusia,
 Octaviano principi acceptissimus 275
 et litterarum semper in studio Iuba
 interfluoque separatus aequore,
 inlustriorem semet urbis istius
 duumviratu crederet. sed insulam
 Tartessus amnis ex Ligustino lacu 280
 per aperta fusus undique adlapsu ligat.
 neque iste tractu simplici provolvitur
 unusve sulcat subiacentem caespitem,
 tria ora quippe parte eoi luminis
 infert in agros, ore bis gemino quoque 285
 meridiana civitatis adluit.
 at mons paludem incumbit Argentarius
 sic a vetustis dictus ex specie sui.
 stagno iste namque latera plurimo nitet
 magisque in auras eminus lucem evomit, 290
 cum sol ab igni celsa perculerit iuga.

idem amnis autem fluctibus stagni gravis
ramenta volvit invehitque moenibus
dives metallum. qua dehinc ab aequore
salsi fluenti vasta per medium soli 295
regio recedit, gens Etmaneum accolit.
atque inde rursus usque Cempsorum sata
Ileates agro se feraci porrigunt.
maritima vero Cilbici possident.
Gerontis arcem et prominens fani, ut supra 300
sumus elocuti, distinet medium salum
interque celsa, cautium cedit sinus.
iugum ad secundum flumen amplum evolvitur.
Tartessorum mons dehinc attollitur
silvis opacus. hinc Erythia est insula 305
diffusa glaebam et iuris olim Punici.
habuere primo quippe eam Carthaginis
priscae coloni interfluoque scinditur
a continente quinque per stadia mari
Erythia. ab arce qua diei occasus est, 310
Veneri marinae consecrata est insula
templumque in illa veneris et penetral cavum
oraculumque. monte ab illo, quem tibi
horrere silvis dixeram, cum veneris,
litus recline et molle harenarum iacet, 315
in quas Besilus atque Cilbus flumina
urgent fluentum. post in occiduum diem
Sacrum superbas erigit cautes iugum.
locum, hunc vocavit Herma quondam Graecia.
est Herma porro caespitem munitio, 320
interfluumque altrinsecus munit lacum.
aliique rursus Herculis dicunt viam
stravisse quippe maria fertur Hercules,
iter ut pateret facile captivo gregi.
porro illud Herma iure sub Libyci soli 325
fuisse pridem plurimi auctores ferunt.
nec respuendus testis est Dionysius,
Libyae esse finem qui docet Tartesium.
Europae in agro, quod vocari ab incolis
Sacrum indicavi, prominens subducitur. 330
locos utrosque interfluit tenue fretum.
quod Herma porro aut Herculis dictum est via,
Amphipolis urbis incola Euctemon ait,
non plus habere longitudinis modo
quam porriguntur centum et octo milia 335
et distineri terras milibus tribus.
hic Herculanæ stant columnæ, quas modum
utriusque haberi continentis legimus.
sunt paria porro saxa prominentia
Abila atque Calpe. Calpe in Hispano solo, 340

Maurusiorum est Abila. namque Abilam vocant
gens Punicorum, mons quod altus barbaro est,
id est Latino, dici ut auctor Plautus est.
Calpeque rursus in Graecia species cavi
teretisque vis nuncupatur urcei. 345
Atheniensis dicit Euctemon item
non esse saxa aut vertices adsurgere
parte ex utraque. caespitem Libyci soli
Europae et oram memorat insulas duas
interiacere; nuncupari has Herculis 350
ait columnas; stadia triginta refert
has distinere; horrere silvis undique
inhospitasque semper esse nauticis.
inesse quippe dicit ollis Herculis
et templa et aras. inveni advenas rate, 355
deo litare, abire festino pede,
nefas putatum demorari in insulis.
circum atque iuxta plurimo tractu iacens
manere tradit tenue prolixo mare.
navigia onusta adire non valent locos 360
breve ob fluentum et pingue litoris lutum.
sed si voluntas forte quem subegerit
agere carinam, eximere classi pondera,
levique cymba sic superferri salo.
sed ad columnas quicquid interfunditur 365
undae aestuantis, stadia septem vix ait
Damastus esse. Caryandaeus Scylax
medium fluentum inter columnas adserit
tantum patere quantus aestus Bosporo est.
ultra has columnas propter Europae latus 370
vicos et urbis incolae Carthaginis
tenuere quondam. mos at ollis hic erat,
ut planiore texerent fundo rates,
quo cymba tergum fusior brevius maris
praelaberetur. porro in occidentem plagam 375
ab his columnis gurgitem esse interminum,
late patere pelagus, extendi salum
Himilco tradit. nullus haec adiit freta,
nullus carinas aequor illud intulit,
desint quod alto flabra propellentia 380
nullusque puppim spiritus caeli iuvet,
dehinc quod aethram quodam amictu vesti at
caligo, semper nebula condat gurgitem
et crassiorem nubilum perstet die.
Oceanus iste est, orbis effusi procul 385
circumlatrator, iste pontus maximus,
hic gurges oras ambiens, hic intimi
salis inrigator, hic parens nostri maris.
plerosque quippe extrinsecus curvat sinus

nostrumque in orbem vis profundi inlabitur. 390
 sed nos loquemur maximos tibi quattuor.
 prima huius ergo in caespitem insinuatio est
 Hesperius aestus atque Atlanticum salum;
 Hyrcana rursus unda, Caspium mare;
 salum Indicorum, terga fluctus Persici; 395
 Arabsque gurges sub tepente iam noto.
 hunc usus olim dixit Oceanum vetus.
 Hyrcana rursus unda, Caspium mare;
 longo explicatur gurges huius ambitu
 produciturque latere prolixo vago. 400
 Plerumque porro tenue tenditur salum,
 ut vix harenas subiacentis occulat.
 exuperat autem gurgitem fucus frequens,
 atque impeditur aestus hic uligine.
 vis beluarum pelagus omne internatat 405
 multusque terror ex feris habitat freta.
 haec olim Himilco Poenus Oceano super
 spectasse semet et probasse rettulit.
 haec nos ab imis Punicorum annalibus
 prolata longo tempore edidimus tibi. 410
 nunc iam recursus ad priora sit stilo.
 igitur columnae, ut dixeram, Libydidis
 Europae in agro adversa surgit altera.
 hic Chrysus amnis intrat altum gurgitem,
 ultra citraque quattuor gentes colunt. 415
 nam sunt feroces hoc Libyphoenices loco
 sunt Massieni, regna Cilbicene sunt
 feracis agri et divites Tartessii,
 qui porriguntur in Calacticum sinum.
 hos propter autem mox iugum Barbetium est 420
 Malachaeque flumen urbe cum cognomine
 Menace priore quae vocata est saeculo.
 Tartessorum iuris illic insula
 antistat urbem, Noctilucae ab incolis
 sacrata pridem. in insula stagnum quoque 425
 tutusque portus. oppidum Menace super.
 qua sese ab undis regio dicta subtrahit,
 Silurus alto mons tumet cacumine.
 adsurgit inde vasta cautes et mare
 intrat profundum. pinus hanc quondam frequens 430
 ex se vocari sub sono Graio dedit.
 fanumque ad usque veneris ac veneris iugum
 litus recumbit. porro in isto litore
 steterere crebrae civitates antea
 Phoenixque multus habuit hos pridem locos. 435
 inhospitales nunc harenas porrigit
 deserta tellus, orba cultorum sola
 squalent iacentque. veneris ab dicto iugo

spectatur Herma caespitis Libyci procul,
 quod ante dixit. litus hic rursus patet 440
 vacuum incolarum nunc et abiecti soli.
 porro ante et urbes hic steterae plurimae
 populique multi concelebrarunt locos.
 Namnatus inde portus oppidum prope
 se Massienum curvat alto ab aequore 445
 sinuque in imo surgit altis moenibus
 urbs Massiena. post iugum Trete eminent
 brevisque iuxta Strongyle stat insula.
 dehinc in huius insulae confiniis
 immensa tergum latera diffundit palus. 450
 Theodorus illic (nec stupori sit ibi
 quod in feroci barbaroque sat loco
 cognomen huius Graeciae accipis sono)
 praecepit amnis. ista Phoenices prius
 loca incolebant. rursus hinc se litoris 455
 fundunt harenae et litus hoc tres insulae
 cinxere late. hic terminus quondam stetit
 Tartessorum, hic Herna civitas fuit.
 Gymnetes istos gens locos insederant
 Sicani ad usque praefluentis alveum, 460
 nunc destitutus et diu incolis carens
 sibi sonorus Alebus amnis effluit.
 post haec per undas insula est Gymnesia,
 populo incolarum quae vetus nomen dedit,
 Pityussae et inde proferunt sese insulae 465
 Baliarium ac late insularum dorsa sunt.
 et contra Hiberi in usque Pyrenae iugum
 ius protulere propter interius mare
 late locati. prima eorum civitas
 Ilerda surgit. litus extendit dehinc 470
 steriles harenas. Hemeroscopium quoque
 habitata pridem hic civitas. nunc iam solum
 vacuum incolarum languido stagno madet.
 attollit inde se Sicana civitas,
 propinquo ab amni sic vocata Hibericis. 475
 neque longe ab huius fluminis divortio
 praestringit amnis Tyrius oppidum Tyrin.
 dumosa late terga regio porrigit.
 Berybraces illic, gens agrestis et ferox,
 pecorum frequentis intererrabat greges. 480
 hi lacte semet atque pingui caseo
 praedure alentes proferebant spiritum
 vicem ad ferarum. post Crabrasiae iugum
 procedit alte ac nuda litorum iacent
 ad usque Onussae Cherronesi terminos. 485
 palus per illa Naccararum extenditur.
 hoc nomen isti nam paludi mos dedit

stagnique medio parva surgit insula
 ferax olivi et hinc Minervae stat sacra.
 fuere propter civitates plurimae. 490
 quippe hic Hylactes Hystra Sarna et nobiles
 Tyrichae stetero. nomen oppido vetus,
 gazae incolarum maxime memorabiles,
 per orbis oras. namque praeter caespitis
 fecunditatem, qua pecus, qua palmitem, 495
 qua dona flavae Cereris educat solum,
 peregrina Hiberno subvehuntur flumine.
 iuxta superbum mons Sacer caput exerit
 Oleumque flumen proxima agrorum secans
 geminos iugorum vertices interfluit. 500
 mons quippe Sellus nomen hoc monti est vetus,
 ad usque celsa nubium subducitur
 adstabat istum civitas Lebedontia
 priore saeculo, nunc ager vacuus lare
 lustra et ferarum sustinet cubilia. 505
 post haec harenae plurimo tractu iacent,
 per quas Salauris oppidum quondam stetit,
 in quis et olim prisca Callipolis fuit,
 Callipolis illa, quae per altam moenium
 proceritatem et celsam per fastigia 510
 subibat auras, quae laris vasti ambitu
 latere ex utroque piscium semper ferax
 stagnum premebat. inde Tarraco oppidum
 et Barcilonum amoena sedes ditium.
 nam pandit illic tuta portus brachia, 515
 uvetque semper dulcibus tellus aquis.
 post Indigetes asperi se proferunt,
 gens ista dura, gens ferox venatibus
 lustrisque inhaerens. tum iugum Celebanticum
 in usque salsam dorsa porrigit Thetim. 520
 hic adstittisse civitatem Cypselam
 iam fama tantum est. nulla nam vestigia
 prioris urbis asprum servat solum.
 dehiscit illic maximo portus sinu
 cavumque late caespitem inrepat salum. 525
 post quae recumbit litus Indiceticum.
 Pyrenae ad usque prominentis verticem.
 post litus illud, quod iacere diximus
 tractu supino, se Malodes exerit
 mons inter undas et tument scopuli duo 530
 geminusque vertex celsa nubium petit.
 hos inter autem portus effuse iacet
 nullisque flabris aequor est obnoxium.
 sic omne, late praelocatis rupibus,
 latus ambiere cautium cacumina, 535
 interque saxa immobilis gurgis latet,

quiescit aequor, pelagus inclusum stupet.
 stagnum inde Toni montium in radicibus
 Tononitaeque attollitur rupis iugum.
 per quae sonorus volvit aequor spumeum 540
 Anystus amnis et salum fluctu secat.
 haec propter undas atque salsa sunt freta,
 at quicquid agri cedit alto a gurgite,
 Ceretes omne et Ausoceretes prius
 habuere duri, nunc pari sub nomine 545
 gens est Hiberum. Sordus inde denique
 ac pertinentes usque ad interius mare
 qua piniferae stant Pyrenae vertices
 inter ferarum lustra ducebant diem
 et arva late et gurgitem ponti premunt. 550
 in Sordiceni caespitis confinio
 quondam Pyrene civitas ditis Iaris
 stetit hicque Massiliae incolae
 negotiorum saepe versabant vices.
 sed in Pyrenen ab columnis Herculis 555
 Atlanticoque gurgite et confinio
 Zephyridis orae cursus est celeri rati
 septem dierum. post Pyrenaeum iugum
 iacent harenae litoris Cynetici,
 easque late sulcat amnis Rhoscynus. 560
 hoc Sordicena, ut diximus, glabrae solum est.
 stagnum hic palusque quippe diffuse patet,
 et incolae istam Sordicem cognominant.
 praeterque vasti gurgitis crepulas aquas
 (nam propter amplum marginis laxae ambitum 565
 ventis tumescit saepe percellentibus)
 stagno hoc ab ipso Sordus amnis effluit.
 rursusque ab huius effluentis ostiis
 * * *
 <litus dehinc> 570
 sinuatur alto et propria per dispendia
 caespes cavatur, repit unda largior
 molesque multa gurgitis distenditur.
 tris namque in illo maximae stant insulae
 saxisque duris pelagus interfunditur. 575
 nec longe ab isto caespitis rupti sinus
 alter dehiscit insulasque quattuor
 (at priscus usus dixit has omnis Piplas)
 ambit profundo. gens Elesycum prius
 loca haec tenebat atque Naro civitas 580
 erat ferocis maximum regni caput.
 hic salsum in aequor amnis Attagus ruit
 Heliceque rursus hic palus iuxta. dehinc
 Besaram stetit fama casca tradidit.
 at nunc Heledus, nunc et Orobus flumina 585

vacuos per agros et ruinarum aggeres
 amoenitatis indices priscae meant.
 nec longe ab istis Thyrius alto evolvitur
 + cinorus agmen +
 * * * 590
 * * *

numquam excitentur fluctuum volumina
 sternatque semper gurgitem Alcyonae quies.
 vertex at huius cautis e regione se
 illi eminenti porrigit, quod Candidum 595
 dixi vocari. Blasco propter insula est
 teretique forma caespes editur salo.
 in continenti et inter adsurgentium
 capita iugorum rursus harenosi soli
 terga explicantur seque fundunt litora 600
 orba incolarum. Setius inde mons tumet
 procerus arcem et pinifer. Setii iugum
 radice fusa in usque Taurum pertinet.
 Taurum paludem namque gentici vocant
 Orani propinquam flumini. huius alveo 605
 Hibera tellus adque Ligyes asperi
 intersecantur. hic sat angusti laris
 tenuique censu civitas Polygium est.
 tum Mansa vicus oppidumque Naustalo
 et urbs impendet + haesicae gentis salo 610
 * * *
 * * *
 * * *

eiusque in aequor Cassius amnis influit.
 at Cimenice regio discedit procul 615
 salso ab fluento, fusa multo caespite
 et opaca silvis. nominis porro auctor est
 mons dorsa celsus. huius imos aggeres
 stringit fluento Rhodanus atque scrupeam
 molem imminentis intererrat aequore. 620
 Ligures ad undam semel interni maris
 procul extulere. sed quasi exposcit locus
 Rhodani ut fluentum plenius tibi disseram.
 stili immorantis patere tracta, mi Probe.
 quippe amnis ortum, gurgitis lapsum vagi, 625
 quas iste gentis lambat unda fluminis
 quantoque manet incolis compendio
 et ostiorum fabimur divortia.
 nivosum in auras erigunt Alpes iugum
 a solis ortu et arva Gallici soli 630
 intersecantur scrupeo fastigio
 et anhela semper flabra tempestatibus.
 effusus ille et ore semet exigens
 hiantis antri vi truci sulcat sola

aquarum in ortu et fonte primo naviger 635
 at rupis illud erigentis se latus,
 quod edit amnem, gentici cognominant
 solis columnam. tanto enim fastigio
 in usque celsa nubium subducitur
 meridianus sol ut oppositu iugi 640
 conspicuus haut sit, cum relaturus diem
 septentrionum accesserit confinia.
 scis nam fuisse eius modi sententiam
 Epicureorum: non eum occasu premi,
 nullos subire gurgites, numquam oculi, 645
 sed obire mundum, obliqua caeli currere,
 animare terras, alere lucis pabulo
 convexa cuncta et invicem regionibus
 certis negati candidam Phoebi facem.
 resi 650
 * * *
 * * *
 * * *
 meridianam cum secuerit orbitam,
 cum lumen axi Atlantico inclinaverit, 655
 ut in supremos ignem Hyperboreos agat,
 Acaemenioque semet ortui ferat,
 discreta in aethrae flectitur curvo ambitu
 metamque transit. cumque nostro obtutui
 iubar negarit atra nox caelo ruit, 660
 caecaeque nostra protinus tenebrae tegunt.
 dies at illos clara tunc inluminat,
 septentrione qui superposito rigent.
 cum rursus umbra noctis arctos habet,
 genus omne nostrum splendidum ducit diem. 665
 meat amnis autem a fonte per Tylangios,
 per Daliternos, per Clahilcorum sata
 Lemenicum et agrum - dura sat vocabula
 auremque primam cuncta vulnerantia,
 sed non silenda tibimet ob studium tuum 670
 nostramque curam. panditur porro in decem
 flexus recursu gurgitum. stagnum grave,
 plerique tradunt, inserit semet dehinc,
 vastam paludem, quam vetus mos Graeciae
 vocitavit Accion, atque praecipites aquas 675
 stagni per aequor egerit. rursus effluus
 artansque sese fluminum ad formam, dehinc
 Atlanticos in gurgites, nostrum in mare
 et occidentem contuens, evolvitur
 patulasque harenas quinque sulcat hostiis. 680
 Arelatus illic civitas attollitur,
 Theline vocata sub priore saeculo
 Graio incolente. multa nos Rhodano super

narrare longo res subegerunt stilo.
at numquam in illud animus inclinabitur, 685
Europam ut isto flumine et Libyam adseram
disterminari. Phileus hoc quamquam vetus
putasse dicat incolas. despectui
derisuique inscitia haec sit barbara
et competente denotetur nomine. 690
cursus carnae biduo et binoctio est.
gens hinc Nearchi Bergineque civitas,
Salyes atroces, oppidum Mastrabalae
priscum paludis, terga celsum prominens,
quod incolentes Cecylistrium vocant, 695
Massilia et ipsa est, cuius urbis hic situs:
pro fronte litus praeiacet, tenuis via
patet inter undas, latera gurgis adluit,
stagnum ambit urbem et unda lambit oppidum
laremque fusa civitas paene insula est, 700
sic aequor omne caespiti infudit manus.
labos at olim conditorum diligens
formam locorum et arva naturalia
evicit arte. siquae prisca te iuvat
haec in novella nominum deducere. 705